



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Discretio quàm in cunctis necessaria sit: vt omnia ex discretione superiorum facienda: natura item quam discretè sit regenda, & vtî quidam eam indiscretè destruant. Can. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

totam Trinitatem Sacramento huic inesse, non minus verè quam in cælo, licet aliena specie, puta sacramentali, velatam. Simile est iudicium de calicis Sacramento habendum.

Iam igitur tu vide, quàm libenter, quàm desideranter accedere debeas ad hoc Sacramentum, quando quidem veram salutem, & perfectè hic habes me felicitatis tuæ autorem, qui tibi (ne reuerentia nimia aut metu formides) præcepi vt accedas, & in mei commemorationem me suscipias: promittès etiam delicias meas esse cum filijs hominum, meq; latari cum vobis benefecero, ac pulsare ad cordis vestri ianuas, vt ingressus vobiscum coenam, vosq; ex meipso reficiam. Quare autem hæc omnia facio? nisi vt spem fiduciamq; habeatis, ac amorem ad me accedendi nec propter illa quæ vos coactè (atque propterea sine peccato) sentitis, à tam fructuoso & necessario Sacramento vos subtrahatis, fructuq; infinito vos spoliatis.

Matt. 26.
Luc. 22.
Prou. 8.
Hic 3.
Apoc. 7.

Discretio quàm in cunctis necessaria sit: vt omnia ex discretione superiorum faciendâ natura item quàm discretè sit regenda, & vt eam quidam indiscretè destruant.

CANON XV.

Exercitia tua omnia vt humilitas, ira discretiq; regat ac temperet ne te lædas, ne te inutilem facias, ne potiora bona spiritus per externa aut corporalia, aut minus bona impedias: ne denique virtutem vnam exercendo, charitatem aliquam lædas. Attende etiam tui corporis debilitatem, virium exhaustionem, si fuerint, & propterea iuxta directionem timeatis me, aut superioris tui dirige consilia, studia & exercitia tua, illa deferens aut minuens, aut augens, aut temperans, secundùm illius voluntatem atque consilium. Et propterea si superior tuus, qui tuæ gerit animæ curam, vt porè mea vice ac officio in hoc erga te fungens, prohibeat ieiunare, aut aliud quid quod suo ex genere non est peccatum, omninò obedias, credens illi quod te cognoscens, illud iudicet tuæ saluti rectè, aut noxium, aut necessarium. Proinde filia, si ostitis iussa fueris in die vna commedere, obediens, non me offendes. Nihilominus ramen interea voluntatem habeas ieiunandi, vbi propria liceret voluntate vti. Et si ex obedientia commederis, habebis comedens præmium duplex, vbi ieiunans habuisses præmium à me duntaxat simplex. Bona enim voluntas ieiunandi, fructusq; bonæ voluntatis, si propter obedientiam tantum comederis, non amittitur, sed propter obedientiæ obseruantiam simul cum obedientia coronatur. Sic pari modo est in omnibus quæ bona voluntate cupiuntur, sed propter obedientiam solam, omittuntur.

Omnia iuxta consiliū superiorum faciendâ.

Comedens ex obedientia quid lucratur.

Gloriam ac beneplacitum meum in te & in alijs, quantum & vbiunque vales quare, zelare, perficere & promouere Bonorum operum nihil quod per te fieri posset, negliges: sed progredi ac semper crescere, spiritusq; proficere contende. Veruntamen inter omnes conatus, studia ac exercitia bonorum operum noli in te gaudere, vbi consolationem recipere, quasi aliquid habeas, aut sis aut possis, sed oculos tuos in tuam nihilitatem semper fixos tenens, mihi soli omnia bona adscribe. Sunt quibus nō sufficiūt ea quæ ego illis ferenda impono, sed abstinentijs & afflictionibus sese indiscretis afficiunt, atque ad obediendum mihi, ad tractum meum sequendum, ac ad certamina spiritualis pugnæ nō solum ineptas infirmasq; se efficiunt, verum etiam per indiscretionem lassatæ atque contritæ, ea quæ sibi exercitia

Beneplacitum Dei quaerere studio zelando.

Indiscretè quoniam suam naturam destruant.

Qqg

assumpsit.

Natura
quomodo
regenda fit.

Molestia
quomodo
regenda.

assumpserant intermittere, atque carnis curam denuo agere coguntur. Proinde in exercitiis tua ac labores iuxta vires tuas moderare, ne teipsam destruas aut nimium graues. Eam ob rem ad sustentandam te ne deficias, placet mihi, ut naturam foueas, refocillesq; infirmitatem tuam, non tamen studio oblectandi, sed vt naturam confortandi, mihiq; in hoc seruiendi, dum instrumentum gratia mea ad meum beneplacitum, ad meum seruitium, & ad operationem meam aptum reddis: semper tamen ad voluntatem meam parata & abundare, & penuriam pati, esse vel sana vel infirma. Ceterum, vbi propter infirmitatem naturæ per discretionem non fueris coacta corpus tuum refocillare, vide ne ex impatientia, in deuotione, proprio amore, in aduersitatibus ac molestijs quas tibi mitto, subterfugia adiuuandum ac te liberandum quæras: sed quas tibi mitto, subterfugia adimplectere, patienter sustine, nemini conquerens, sed longanimiter tolerans, & me expectans. Sine me tecum agere, vt per tribulationem quæ super te cecidit, mea gratia in te boni aliquid operetur. Hæc enim longè est præstantior, multoq; fructuosior, quàm ea quæ tibi ipsi à tua propria voluntate imponitur. Certam namq; te esse volo ò filia, quod nullam in te tribulationem vnquam venire sino, quæ non pariat in te boni aliquid, renouetq; spiritum tuum, si modo tu mihi te credens ac dimitteres, in silentio tolerando ac longanimiter me præstolando: quia veniens venio, qui tibi nunquam absors, sed præsto vbique ac semper assido. Cæue igitur ne abijcias quæ tibi mitto ac impono. Ego regam te, tu verò meæ directioni ac prouidentia confidenti, mihi innitere, non tuæ propriæ voluntati. Sine vt ego alij homines te crucifigant. Tu interim non carnem, sed vitia persequere, & sustine quæ tibi occurrunt patienter.

Sponsa fidelis vti & in quibus sponso suo Christo Iesu conformari debeat.

CANON XVI.

Debet sponsa fidelis ad eum amans sui esse sponsa, vt sine illo nunquam esse, illo nunquam velit abesse. In omnibus cupiat se sponso conformare, gaudeatq; vbi se videat simile fieri. Hoc modo tu facias quoque oportet. Considera vitam meam, actus & virtutes, è quibus discas quod diligo, & quid mihi in te placeat. Iam si fidelis esse sponsa vis ò anima, nihil tibi tam esse debet desideratum, quàm mihi placere & conformari. Quocunq; igitur iero, tu desiderata comitari: quicquid egero, stude imitari: quicquid passus fuero, & si data fuerit occasio, gaude mihi conformis fieri. Vide nunc & expende singulas virtutes meas, aut saltem præcipuas, quibus teipsam extimules ad imitandum. Erit tibi in initio labor, ea quæ vitia tua contraria atque deformia sunt, hoc est, vitia tua, prauasq; inclinationes & corruptiones tuas abscindere, mortificare atque eradere. Verùm, vt supra dixi studiosa voluntate & assiduo conatu fiet, vt postea tanquam statu leui abigas, quæ modo ferrea vix lima possis eradere.

Paupertas Christi quanta fuerit quinam ea sit consideranda ac imitanda: quæ item eidem aduersentur.

CANON XVII.

Contem.